

scribit, somnum secundum naturam fieri, quum nativus, ex fatigione, & nimia siccitate, ad alimen-
 tum se conuertit. Cum enim inquit nativus calor opus habet copiosa humiditate, tunc in viscera, &
 ventrem se recipit, & fit somnus naturalis: vigilia autem succedit naturalis, quum ipse calor natura-
 lem qualitatem ex humiditate recuperauit: quae si vera sunt, nunquam fiet somnus naturalis nisi his,
 qui ex fatigione, aut alia exiccante causa dormire, coguntur: quod absurdum esse videtur. Nam a cibo
 cogitur homo dormire, altos, & suaves somnos: tametsi nulla praecessit fatigatio, vel siccitas nativi ca-
 lidi, aut corporis. Quis verò negabit, ut diximus, illos esse secundum naturam, qui fiunt in pueris, aut
 in hyeme, vel vere, aut alia aeris constitutione, quae peculiarem vim ad somnos concidiandos habere
 agnoscit? aut quos pariunt tenebrae, cantus, nautigatio, & multæ aliae ex predictis causis? nam si hu-
 iusmodi somni, mediocres sunt, & profund dormientibus, nascunturque a causis moderatis, iustum
 est, ut illos recipiamus inter affectiones, quae secundum naturam esse dicuntur. Montanus in com-
 mentarijs quos scripsit in primos Aphorismos secundi libri ait, somnum naturalem fieri à vapore hu-
 mido, qui eleuatur à corpore ad primum sensiterium: fieri autem ab eo somnum, quia condensatus in
 primo sensiterio, ipsum postea refrigerat: esseque vaporem hunc causam materialem somni: refriger-
 ationem verò ipsius sensiterij formalem: efficientem esse naturalem calorem, mitem, & suauem, quia
 igneus nequit vapores facere. Scribit etiam in illis locis, naturalem somnum fieri à copia humoris vi-
 lis venientis ad cerebrum, si humoris adiungatur moderata frigiditas: & humiditatem esse causam
 materialem, frigiditatem verò efficientem. Frigidum enim ligare sensus, quum illius proprium sit, non
 mouere. Vigiliam verò dicit fieri à caliditate, & siccitate: ab illa quidem tanquam effidente, ab hac
 tanquam materiali causa. Quinetiam idem author, explicans in arte medicinali cerebri temperaturæ
 signis, refert, & probare nititur ex Galeno, vniuersa medicamenta humida, vel etiam moderate siccata
 parere verum somnum: frigida verò committere stuporem: & meritò inquit: quoniam verus som-
 nus fit ab humiditate, & non à frigiditate. Addit fieri somnum sed breuem, ubi vel calor solus, vel cum
 humiditate temperata coniunctus, in cerebro dominatur. Proponit idem author in aphorismo deci-
 moquinto libri primi, somnum qui aestate fit, non esse naturalem, & verum, quoniam oritur à vaporib-
 us adustis: fieri verò eo tempore, somnum, quod ob malas digestiones, potumque plurimum, &
 multis herbas frigidas, quas tunc edunt homines, à debilitate caloris plurimi attollantur vapores, qui
 replent cerebrum, non autem quod refrigeretur thorax, & cor, ut voluit Alex. concedit tamen ille, eas
 partes refrigerari: contra verò in hyeme somnos esse naturales, & longissimos, quia homines tunc
 plus comedunt, & maior sit euaporatio, suntque ipsi vapores suaves, & benigni: tunc enim cerebrum
 refrigerari, somnumque generari, ut illos vapores concoquat. Est locus aliis apud illum in fine ex-
 planationum, quas fecit in tertium primi de morbis vulgaribus, ubi scribit somnum fieri à refrige-
 ratione primi sensorij moderata, à qua contemperatur calor: non enim re vera refrigerari ipsum sen-
 sorium, sed ipsius calorem innatum intensum temperari: calorem enim propter mottis factos in vi-
 gilia, labores, curas, & cogitationes intendi, & propterea naturam somnum dedisse animalibus, qui re-
 frigeret aliquo pacto calorem intensum: quae quidem refrigeratio, potius inquit ab humido fit, quam
 à frigido. Blandam igitur, & remissam obtusum caloris ab humido, naturalem somnum pareat, eos
 philosophorum opinione, esseque eadē sententiam Galeni, quod quidem & alibi etiam testatur, eos
 inquam authores, in causis efficientibus somnum, nequaquam discrepare: sed duntaxat de primo sen-
 sorio, ubi somnus & vigilia fiunt. Hac Montanus de causis somni, & vigilæ naturalis: quae mihi pro-
 fectò non placent. Primum enim discrepat à Galeno, quum dicit somnum, qui fit à vapore, naturalem
 esse: illudque falsum est, cum authorem cum Aristotele consentire in huiusmodi causa: nam, ut antea
 ex libro de symptomatum causis ostendi, negat Galenus naturalem esse somnum, quem vapores pè-
 riunt, sed quem cōtractio caloris facit, quod aperte quoq; testatur in libro de causis pulsuum. Deinde à
 seipso Montanus discrepat: quandoquidem dicit, nunc à vapore humido, nunc verò ab humore vili,
 ascendentे ad cerebrum, naturalem somnum gigni. Aliud enim est humor, quām vapor: aliud humor,
 qui ex vapore gignitur in cerebro, aliud qui aliunde ad cerebrū venit. Præterea scribit in primum apha-
 risnum secundi, fieri somnum ex labore, no propter vapores ascendentēs, sed ob resolutionem caloris.
 habet etiam aphorismo tertio eiusdem libri, somnum præter naturam fieri, ob plurimam siccitatem, nō
 autem ob vapores: quae quidem si vera sunt, cur assūmit vaporem in communi definitione somni? atq;
 illius causam materialem esse vaporem, & ab eo condensato refrigerari sensorium, somnumque nasci.
 Destruit enim quod commune posuit, & esse debet omni somno: siquidem definitio vniuersos som-
 nos comprehendit, et si postea illi inter se differunt excessu, & mediocritate. Quid quod ait eleuari va-
 porem à corpore: intelligendum ne est à toto corpore? quod si ita vult, quir non semper fit som-
 nus? si verò per corpus, nescio qua docendi licentia, intelligit partes alias corporis, quir il-
 las non explicat? Illud verò quod ait ferri hos vapores ad primum sensiterium, & illic condensari,
 postulat ut doceat, an cor sit, vel cerebrum huiusmodi sensiterium: quod ille facere contemnit,
 & nihil aliquando referre putat. Nam ad cor non recte dicuntur ascendere vapores, nec in eo con-
 densari, nimurum quum supremum in corpore locum cor nequaquam occupet, vehementissimum
 que